



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XVIII. Qvomodo VVittstacvs ad Episcopum veniens verba ei populi
renunciauit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

QVOMODO VVITSTACVS
ad Episcopum veniens verba ei po-
puli renunciauit.

XVIII.

INTERIM vero maiores natu & sapientiores
quique de rebus istis altius inter se tractaturi con-
siderant, & à mane vsq; ad medium noctis huic
deliberationi vacantes, de salute propria & to-
tius populi, de statu ciuitatis & conuersatione pariter se-
cundum prudentiam sæculi diligenter disputabant. Præ-
cipue autem vniuersa quæ OTTONIS erant dicta vel facta
examussim trutinabant, & mediante spiritu sancto in
hanc sententiam omnes conueniebant, & Ecclesiæ, vt
funditus extirpata idolatria ex integro se religioni chri-
stianæ submittant; atq; in hoc verbo concilium soluunt.
VVITSTACVS verò qui omnibus his intererat, nocte
ipsa cum paucis ad Episcopum veniens, optatum affert
nuncium, omne consilium ei breuiter intimans. Dein-
de etiam collectis ad Episcopum clericis & alijs familiari-
bus omnia quæ audierat quæq; in concilio de ipso dicta
fuerant, secundum ordinem liberationis eius qui loque-
batur; & de miraculo, quod hastas vibrantes contra Epi-
scopum pridie obriguerant, & quod adhuc Episcopum la-
tebat, qui ad Ecclesiam cum ministris per plateam præ-
paratus incedebat, tantus splendor vestium apparuit, vt
maligni homines qui ad eum necandum ex insidijs ve-
niebant, nimie claritatis aspectu in fugam territi ac turbati
uersi fuerint. denique virum illum virum Belial sacerdotem
qui ei concionanti ad populum impedimento fuerat ab
ipsis ciuibus eiectum nunciat. Porro apud eos eius libera-
litate & elemosynarum inæstimatæ largitiones, captiuo-
rum

rum redemptiones quoq; sine magna recompensatione, q; nullius eorum opes vel substantiam oblatam contigerit, suis impensis sese atq; suos transigens, etiam basilicas exstrueret, destructaq; reedificaret omnia: hæc quantæ venerationis, quãtæue admirationis habita sint, cum gaudio referebat. Igitur de mane consurgens Episcopus, & cum gratiarum actione Missas celebrans, concurrentes ciues iterum alloquitur; paratos atq; obediens ad omnia inuenit. Quicunq; enim apostasię vicio se inquinauerant, spiritus sancti virtute faciente, compuncti, per manus impositionem in fonte lachrymarum suarum loti, Ecclesiæ sanctæ reformantur. Pueri vero & quicunq; sacramentum baptismi nondum erant consecuti, baptizantur; fana destruuntur, Ecclesiarum fracturæ solidantur; si quæ destructæ fuerant, reparantur. omnis ergo populus iam quasi vir vnus id ipsum sapiebant in domino. Gaudet Episcopus, latantur sacerdotes, magnifica fiunt in consilio iustorum opera domini.

DE ROMBONE A PISCATORIBUS CAPTO.



PATER hanc autem spiritualis lætitiæ occasionem, diuinitas omnipotentis illi ciuitati ex inopinato corporale commodum exhibuit. nam immensæ molis ROMBONEM circa portus ac naues se ostentantem piscatorum manus ad litus eiecit in mense Augusto; cum tamen illis in locis talis captura non * vero vernali tempore occurrat, ex cuius carnibus ac pinguedine omnes ciues partes capiunt, f. nifi.

LII 3

& E.

XIX.